

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Observationes Criticæ In Aliqvot Veteris Foederis Loca**

**Milow, Johann Nikolaus**

**Kilonii, [MDCCLXV?]**

**VD18 11840323**

**urn:nbn:de:gbv:45:1-15744**

CBSERVATIONES CRITICÆ  
IN  
ALIQVOT VETERIS FOEDERIS LOCA.  

---

PROLVVSIO  
QVA  
LECTIONES ACADEMICAS  
IN  
ALMA CHRISTIAN-ALBERTINA

D. 21. OCTOB. A. C. CIO IOCC LXV.

B. C. D.

AVSPICANDAS  
INDICIT ET COMMENDAT  
IOANNES NICOLAVS MILOW  
PHILOS. DOCT. ET PROF. PVBL. EXTRAORDIN.

---

KILONII, LITTERIS GOTTFR. BARTSCHII,  
ACAD. TYPOGR.

*Dr. Löffelholz. im Grossen  
Lohnkel.*

*014*



GEORGIUM WASHINGTON

AMERICAN HISTORY

PROLOGUE

CHAPTER

SECTION ONE

IN

A NEW ORIENTAL PERSPECTIVE

BY JAMES M. HENNING

1988

AMERICAN HISTORY

SECTION TWO



CHAPTER ONE

SECTION ONE

SECTION TWO

SECTION THREE





B.I.G.

Farbkarte #13

Inches  
Centimetres

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



Landesbibliothek Oldenburg



OBSERVATIONES CRITICÆ IN ALIQUOT  
VETERIS FOEDERIS LOCA.

Locus I.

1 Sam. 4. 13.

**E**t ecce Eli sedebat in sella, PERCUTIEBAT  
(וַיִּךְ) in viam prospiciens, (מצפה) nam cor  
ejus ob arcam Dei trepidabat.

E voce וַיִּךְ, ut in hodiernis codicibus scribitur, ego qui m  
concinnum sensum elicere valeo prorsus nullum. Interim ta-  
men Kimchius angorem & solitudinem Eli de arca existimat  
ea innui, ideoque vertit: *nam cor suum ipsum percutiebat*, acci-  
piens verbum nostrum pari modo, ut 2 Sam. 24. 6. occurrit,  
וַיִּךְ לֵב דָּוִד אֶת־פָּרְצוֹתָיו *percussit Davidem cor suum.* Sed.

1) quisque intelligit, longe aliud quid esse וַיִּךְ, si simpliciter  
ponitur, & si cum vocibus לֵב & אֶת־פָּרְצוֹתָיו conjunctum est.

A 2

2) vero

2) vero & *connexionem* explicatio talis efficeret maxime incommodam; nam quomodo quæso cohæreant illa? „Eli confederat in sella, nam cor suum ipsum percutiebat, *in viam prospiciens.*“

3) denique (quod maximum est,) vera sane *tautologia* in textum inde inferretur; id enim ipsum, quod Kimchius quærit, illico & multo aptius verba nostra excipit: „*nam cor ejus ob arcam trepidabat.*“

Melius omnino pro יך (percussit) in margine יך (prope) legitur. Jam verba nostra hunc funderent sensum: „sedebat in sella *juxta* viam prospiciens.

*Conferant. in fine  
Corrigenda.*

Sed ita nova difficultas emergit. Quæritur enim, an etiam צפה (prospicere) sæpius cum יך constructum deprehendatur? Hic autem ne ullum quidem proferri exemplum poterit. Cum ב, (Mich. 7. 7. Pf. 66. 7.) cum ל, (Hab. 2. 2.) cum אל, (Thren. 5. 17.) aut denique cum solo Accusativo conjunctum illud invenies, sed nunquam cum יך: quin imo nostra ipsa phrasis, quæ Nah. 2. 2. secunda vice occurrit, ibi certe solummodo ita exprimitur צפה ררך.

Vera lectio hæc videtur: יושב יך השער ררך מצפה „sedebat prope *portam* in viam prospiciens.“ Ita enim.

- 1) LXXII fenes habent: *εκαθηλο επι τα διφρα παρα την πυλην σκοπεων την οδον.* Et Eli nostrum
- 2) revera non tam prope viam sed prope *portam* confedisse, clare patet e vers. 18. cap. nostri, ubi delapsus esse dicitur de sella *prope portam.* (יך השער)

*Locus*



Locus II.

1 Sam. 14. 8.

*Et præcipiebat Saulus Abia, ut arcam Dei ar-*  
*cesseret, (erat enim tunc temporis arca Dei ET*  
*(ו) filii Israel.)*

„Erat arca Dei ET filii Israel.“ quid est illud? Interpretes hic ob-  
servant, quod ו sæpissime etiam significatum latinæ Præpositio-  
nis cum admittere soleat. Admittit omnino, sed quatenus no-  
strum mit s. nebst exprimit. (\*) Ast vero in nostro loco sensus  
postulat, ut significatus nostri bey vel potius Latinæ Præpositio-  
nis inter τω ו tribuatur, & quis jam exempla proferat? Mea  
quidem sententia librarius ו incuria scripsit pro ע (cum),  
fortasse, quoniam reliqui harum literarum ductus quotidiano  
usu in suo codice jam deleti erant.

Locus III.

2 Sam. 8. 1.

*Post hæc accidit, ut David, Philistæis fufis &*  
*sub jugum missis e manibus ipsorum ME-*  
*THEGH-HAAMMAH (מתג האמה) eriperet.*

Non transtuli voces hebraicas. quoniam, quomodo transfe-  
rendæ sunt, nescio. Alioqui *Methegh* frenum s. habenam, &  
*Ammah* cubitum significat; sed quid mihi cogitem ad *habenam*  
A 3 cubiti?

(\*) e. g. Gen. 46. 1. Profectus est Israel (וכל) & omne, quod illi.  
i. e. cum omni, quod illi erat. Ruth. 1. 6. Surgebat illa & nurus  
ejus (וכלותיה) i. e. illa cum nuribus suis. Ad hæc ipsa exempla  
provocant,

*cubiti?* Consului interpretes, sed & illi, quod exspectationi meae satisfaciat, non proferunt. Praecipuas interim ipsorum sententias transcribam. Sunt nempe,

1) Quibus מֶתֶגַח (Methegh) *dominium* s. imperium, אַמְמָה (Ammah) vero idem, quod אֲמָה interdum, *metropolin* scilicet denotare videtur. Hi verbis nostris hunc sensum subjiciunt: „Eripuit David e manibus Philistaeorum metropolin (Gath) quae haecenus instar freni fuerat, subjectas sibi civitates & Satrapias coercens iisque dominans.“ (\*) Sed

1) Primo, quam voci *Ammah* tribuunt potestatem, vellem loquendi usu & exemplis confirmassent; nam alioqui sententia haec nil nisi mera conjectura erit.

2) deinde vero, quam dure & perplexe! „Metropoleos *frenum* hosti eripuit,“ pro: „Metropolin, cui reliqua oppida *subiecta* erant, occupavit.“

II. Alii, in quibus imprimis Junius & Tremellius, אַמְמָה (*Ammah*) sumunt pro *nomine proprio montis* cujusdam Philistaeorum, & quidem ejusdem, qui *Plinio* audit *Angaris*. Nam, inquit, si composueris אַמְמָה (*Ammah*) & הַר (har mons), habebis Ammahhar, Ammahar, Ammhar Amhar Amgar & denique Angar. מֶתֶגַח (*Methegh*) (pergunt) indicat *potentissimum hujus montis oppidum*, Gath nimirum, quod jure meritoque *frenum* appellari poterat, quoniam ipsius clausura totus Philistaeorum tractus ab hostibus defendebatur.

Hic 1) iterum quaero, quomodo tibi placeat dictio illa: „*frenum montis* e manibus Philistaeorum eripuit“ pro: *potentissimum & munitissimum montis oppidum* expugnavit.

2) vero

---

(\*) *Glassii Philol. sacr. p. 1363 seq.*





- 2) vero mea mente prorsus non comprehendo, quomodo e Plinii verbis, quæ tanta obscuritate sunt involuta, ut ego ne verum quidem ipsius Angaris situm conjicere inde valeam, ipsi argumentari adeo audeant, quod oppidum Gath in hoc monte sit collocandum. Sed ipse judices, ita se habent: »Mons Idumæa incipit & Palæstina ab emerfu Sirbonis lacus, quem quidam centum quinquaginta mill. pass. circuitu tradidere, Herodotus Casio monti applicuit; nunc est palus modica; oppida Rhinocolura & intus Raphea: Gaza & intus Anthedon; *mons Angaris*. Regio per oram Samariæ: oppidum Ascalo liberum, Azotus: Jamnes duo, altera intus; &c. Plinii histor. natural. lib. 5. cap. 13. conf. omnino Reland. Palæst. Edit. Ultraject. p. 345. & 439. in not. Quod denique
- 3) ad derivationem vocis *Angaris* attinet, eam non minus infeliciter institutam mihi persuadeo; nam ex sequentibus saltim similiter compositis Nominibus Propriis *הר חרם* (Har Cheres) Jud. 1. 35. *הר יערים* (Har Ieyarim) Jos. 15. 10. *הר אל* (Har'el) Ezech. 43. 15. luculenter apparet *הר* (Har) esse non post, sed ante *אמה* (Ammah) pronunciandum.

In loco Parallelo 1 Chron. 18. 1. versus noster  
ita repetitur:

»Post hæc accidit, ut David Philistæis fuis & sub jugum missis e manibus ipsorum *GATH ET FILIAS* (i. e. pagos) ejus (*גת ובנותיה*) pro: *מתג האמה* (*criperet*).«

Ni fallor, vestigia veræ lectionis in voce *מתג* (Methegh) evidenter agnosco. Transpone enim syllabam *תג* & habebis id ipsum *גת*, quod in loco Parallelo exstat. Plura deprehendo hujusmodi metatheseos exempla. v. c. qui filius Benjamin Gen. 46. 21. *אדר* (LXXII *apad*) dicitur, is ipse 1 Chron. 8. 1. vocatur *אדר* (Adar), & quæ ligna 2 Chron. 9. 10. nominantur *אלגומים*

אלגומים; eadem 1 Reg. 10. nuncupantur אלמוגים. Porro, quæ scribitur vox פ. 18. 13. ויחרגו & egressi sunt, (ab Arabico חרג egredi, exire) ea ipsa 2 Sam. 22. ויחרגו (cingent, sed nullo sensu) pronuntiatur.

Locus IV.

2 Sam. 8. 13. 14.

Et fecit David nomen (ויעש ויור שם) cum revertetur a cædendo Syros (ארם) in valle salis octodecim hominum millia, & imposuit in Edom præsidia, in tota Edomitarum terra præsidia collocavit, & omnes Edomitæ Davidi servis erant: Jehova enim Davidi, quocunque proficiscabatur, aderat.

Quid velit sibi 1) ויעש שם & nomen fecit? Interpretum plerique respondent: Famam sibi peperit. Immo vero hoc Hebraice non sonaret ויעש שם sed ויעש לו שם conf. Gen. 11. 4. Fuerunt itaque alii, qui maluerunt voci שם hic loci non solennem, sed rariorem signi s. monumenti (Jes. 55. 13.) potestatem subjicere; ast ita mihi nexus videtur incommodus: „faciebat David monumentum ET in Idumæa præsidia constituit.“ Sed porro de nexu.

2) quomodo sequentia cohærent: Syros cædit & in Idumæam introducit præsidia? vulgo quidem statuunt Syros tantummodo Edomitarum fuisse socios; sed unde illud probari poterit? historia certe hujusmodi quid non tradit. Ammonitis fuerunt auxilio (2 Sam. 10. 6 seqq.) sed de ope, quam Edomitis tulissent, nihil scio.

3) Quid est illud: *cum reverteretur?* Crederes hic esse sermonem de illo p̄celio, cujus paullo ante *vers. quinto* facta est mentio: nihilominus tamen duo momenta adfunt, quæ huic sententiæ videntur obfarc:

- 1) Primo enim p̄celium *illud* non videtur in valle Salis, sed prope *Euphratem* esse commissum. conf. omnino *vers. 3. sq.*
- 2) Secundo vero ceciderunt in illo non duodecim, sed *vinginti duo* millia. Ita enim legitur *vers. 5 & 6: venerunt autem Syri ex urbe Damascen auxiliatum Hadad-Esfero, Regi Zoba; sed David cecidit Syrorum 22000, & in urbem Damascen introduxit prasidium. Ita Syria Davidi subiecta erat.*

In loco Parallelo 1 Chron. 19. v. 12. 13. verba nostra ita se habent:

*Et ABISAI, ZERUIÆ FILIUS cecidit EDOMITARUM*  
 (ויעש דוד שם ואבשי בן-צרויה הכה את-אדום) *in valle Salis octodecim millia, & imposuit in EDOM prasidia, & omnes EDOMITÆ Davidi servi erant: Jehova enim Davidi, quocunque proficisceretur, aderat.*

Maxima ergo hic loci librarii menda illa est, qua in voce ארם pro litera ר literam ר scripsit; sed hujus commutationis sexcenta alia deprehunduntur exempla, e quibus hic quidem sequentia attulisse sufficiat. Nimirum qui Gen. 10. 3. vocatur ריפת per Resch, is 1 Chron. 1. 6. vocatur ריפת per Daleth. Rursus ibidem Gen. 10. 4., qui vocatur דודנים Dodanim, is 1 Chron. 1. 7. dicitur דודנים Rodanim. Item qui Gen. 36. 39. vocatur אדאר Adar, is 1 Chron. 1. 49. dicitur אדאר Adad. Denique, 1 Chron. 18. 3. qui vocatur אדאזר Adarezer, is 2 Sam. 8. 3. 5. dicitur אדאזר Adadezer.

Locus V.

2 Sam. 8. 18.

Benaja filius Jojadæ ET (ו) Crethæi & Plethæi.  
 Et filii David principes aulae (LXXII. αὐλαρχαί) erant.

B

Mihi



Mihi in priori commate nulla sententia: Interpretes tamen Particulæ ꝛ hic loci subjiciunt significatum nostri *bey*, quem sibi persuadent confirmari posse ex 1 Sam. XIV. 18. ubi dicitur: *fuisse arcam Dei ET (ꝛ) filios Israel: i. e. (ut illi volunt) bey den Kindern Israel. Sed*

- 1) Primo hunc locum corruptum videri, jam supra monui. ET
- 2) Secundo: posito, me hic in errore fuisse; quis tamen est, qui non intelligat, notiones prorsus diversas esse, ꝛ, si *inter*, ut illic, & ꝛ, si *super*, ut in nostro loco, significet? Hic quidem hujus *posterioris* Particulæ nostræ potestatis exempla postulo; sed quis, qui illa afferat, erit?

Locus Parallelus 1 Chron. 19. 17. verba nostra ita habet:

*Et Benaja, filius Jojada (erat) SUPER (על), s. præerat Crethais & Plethais.*

Et bene: nam ita 2 Sam. 20. 23. legitur: „Joabus *toti exercitui, Benaja autem, filius Jojadæ Crethais (על-הכרתי) melius in margine (על הכרתי) & Plethais præerat.*“

Locus VI.

2 Sam. 21. 8.

Sumfit etiam Rex quinque illos *Michalis*, (מיכאל) Sauli filix, filios, quos *Adrieli*, filio Barfillai, *Mecholathitæ pepererat.*

Librarium in voce *Michal* mendosum fuisse, videtur mihi quidem extra omnem dubitationis aleam positum esse sequentibus momentis:

I. Primo nempe, quia *Michal*, quantum ex historia constat, *nulli unquam cui nomen Adrieli erat, fuit nupta, sed*  
 ex 1 Sam. 18. 27. a) Primo

a) Primo *Davidi*, deinde vero, exfulante ipso,

b) τω *Phalti*, filio *Lais*, in matrimonium data est. Ita enim 1 Sam. 25. 44. legimus: „Michalem vero, uxorem Davidis, junxit Saul cum *Phalti*, (\*) filio *Lais*, Gallimita, matrimonio.“ Et ne credas, fieri potuisse, ut, hoc quidem morte functo, cum *Adrielle* quodam iniisset connubium, alium

c) locum afferam, qui, ut spero, & hanc tibi dubitationem ex animo evellet. Scilicet *David*, postquam, reversus in patriam, Imperii summam potitus erat, his verbis pristinam ab *Isbosetho* reposcit uxorem: *Cura, ut reddatur mihi marita mea MICHAL, quam mihi centum desponsavi praputiis; & jam sacer pergit historicus: Tum mittebat Isboseth, qui illam A MARITO SUO PHALTIELE, FILIO LAIS, arcesserent, qui, oculos suffusus lacrymis, ad oppidum usque Bahurim ipsam deducebat.* 2 Sam. 3. 14 -- 16.

II. Secundo mihi vox *Michal* & eo nomine merito suspecta est. quoniam, ipsam *uterum* nunquam gessisse, constat. Ita enim 2 Sam. 6. 23., ipsissimis verbis legitur: *Nam Michal, filia Sauli, NULLAM usque ad vitæ exitum ENIXA EST PROLEM.*

*Merab* (ut dicam quod res est) *Merab Adrieli* maritata fuit. *Appropinquante* (legitur 1 Sam. 18. 19.) *appropinquante vero tempore, quo MERAB (מרב) Davidi committenda erat; accidebat ut ADRIELI MECHOLATHITÆ elocaretur.*

Primo itaque librarius quidam, (ut videtur,) in voce מִיכָל literam ם omittebat, & deinde alii literam ך cum lit. ך, & literam ל cum litera ך commutabant. Similes mendas in sequentibus lo-

B 2

cis

(\*) פִּלְטִי, vitiose, ut videtur, pro פִּלְטִיָּא ut 2 Sam. 3. 15. Simili modo & 1 Chron. 11. 35. אֶלְיָפָל dicitur, qui 2 Sam. 23. v. 34. אֶלְיָפָל appellatur; & qui 1 Chron. 1, 17. vocatur מִשָּׁךְ, is Gen. 10. 23. dicitur מִשָּׁךְ (LXXII μωσσχ)

cis observabis. Qui nempe, (quod ad *primum*) qui Efr. 2. 40. vocatur הוֹדוּהָ is Neh. 7. 43. dicitur הוֹדוּהָ. Et qui 1 Reg. 4. 30. appellatur דָּרַע, is 1 Chron. 2. 6. vocatur דָּרַע. *Secundum* hæc exempla illustrent: qui dicitur 2 Sam. 22. 23. בֶּן שָׁרָר, is 1 Chron. 11. 35. vocatur בֶּן שָׁכָר. Eodem modo, quod 2 Sam. 22. 12. legitur חֲשֵׁרֶת מַיִם, id ipsum Pl. 18. 22. scriptum invenies חֲשַׁכְתָּ מַיִם. Et porro, quod de *tertio*: qui 1 Chron. 6. 27. dicitur אֱלֹהֵי אָבִי, eidem seq. v. 34. est nomen אֱלֹהֵי אָבִי.

Syrus in versu nostro pro מָרַב, מָרַב habet. Is ergo מָרַב legit pro מָרַב & מָרַב pro מָרַב. *Prioris* jam supra ad 2 Sam. 8. 13. 14. plura exempla dedimus: de posteriori hoc unum sufficiat. Nimirum, quod Gen. 6. 3. in hodiernis Masorethicis Editionibus legitur: *Non DISCEPTABIT* (יִרְדֵּן) *spiritus meus cum homine*; id LXXII Senes vertunt, μη καταμεινῆ. Vulg. non permanebit. Jam vero *permanere* hebraice רוּם f. רוּם (Jer. 47. 6.) est, sequitur ergo, ut pro יִרְדֵּן in suis Codicibus רוּם legerint. Sed hoc, inquires, de Nun *finali* valet: en itaque aliud etiam de Nun *initiali* exemplum, quamquam ego quidem non multum inter utriusque figuras discriminis videam. Quod Ezech. 3. 8. (& recte) legitur: *Ecce dedi מצחך frontem tuam duram adversus מצחם frontem eorum*; id LXXII vertunt: το ΝΙΚΟΣ σε κατισχυσω κατεναντι τε ΝΙΚΟΥΣ αυτων. Legerunt ergo pro מצח (frons) נצח (victoria).

Interpretes, qui omnia, vel ineptissima vindicare contendunt, eidem suo studio & in nostro loco non defuerunt; sed, quo successu, videbis.

I. Primo itaque Junius & Tremellius ante Michal asserunt esse vocem sororis subintelligendam, ut sensus sit:

*Et quinque filios (SORORIS) Michal, quos (SOROR i. e. MERAB) Adrieli pepererat.*

An vero vel ulla lingua ellipses admittat, quæ omne in rebus historicis certum tollerent? At,

At, inquit, nonne eadem & in versu *decimo nono* capitis nostri assumenda est, ubi Elchanan *Goliathum* occidisse dicitur, cum tamen ex 1 Chr. 20. 5. constat, non *Goliathum* ipsum, sed *Lachmium* potius *fratrem* ejus intelligendum esse?

Respondeo: Prior locus corruptus est, & ex posteriori emendari debet, quod & ipse intelliges, simul ac alterum cum altero curatius comparaveris. En utrumque:

2 Sam. 21. 19.

1 Chron. 20. 5.

Et fuit porro bellum in Gob cum Philistæis, & occidit Elchanan filius Jaari Oregim (ארגים) BETH-LEHEMITA (בית הלחמי) GOLIATHUM (את גלית) *Gittæum, cujus hastæ lignum erat instar licitatorii textentium* (ארגים).

Et fuit porro bellum cum Philistæis & occidit Elchanan filius Jaari (את לחמי) FRA-TREM GOLIATHI, (אחו גלית) *cujus hastæ lignum erat instar licitatorii textentium.*

Jam (spero,) non negare poteris, quin את לחמי in בית הלחמי & אחו גלית in את גלית sit depravatum; ne quid dicam de ארגים, quod aperte e fine versus illatum est.

II. Glassius hic *Merabis filios* eo nomine Michalis nominari existimat, quia *Michali* in primis *educationem suam retulissent acceptam*, excitans ad confirmandam hanc suam sententiam caput IV. libr. Ruth. v. 17., ubi recens natum *Ruthæ filium* ob prorsus eandem causam *Noomi filium* a vicinis vocari sibi persuadet: sed

1) quomodo Glassius de tali educatione nuncium acceperit, ego sane concipere animo nequeo.

2) vero non video quoque, quomodo hæc sententia consistere queat cum sequentibus: *quos Adrieli PEPPERERAT*: scio quidem illum statuere, quod post אשר (i. quos,) *Merab* subintelligendum atq. ita vertendum sit: „quos (*Merab*) Adrieli pepererat.“ Verum profecto, nonne id, apertissimam textui vim inferre, esset? Quod

3) ad *exemplum* attinet: sollicite sane a) distinguendum est, si quis in ore atque sermone, cujusdam, cui multa debet, filius audit,



& si eodem ab *historico* nuncupatur nomine. Hic *vicini* dicunt: Noomi illi filius natus est; in nostro vero loco *historicus* Merabis filios Michali tribueret. b) vero & Obed, ut equidem credo, minime ideo Noomi filius dicebatur, quia Noomi illum in gremium suum receperat, illumque fovebat: sed quoniam ipsi *locum* defuncti filii explere, hujus nominis memoriam ab oblivione, hereditatem ab alienis heredibus vindicare, aviam denique suam in senectute alere atque sustentare poterat. conf. omnino v. 10. & 11.

Locus VII.

1 Reg. 2. 28.

Hujus rei (nempe, quod *Adonia* interfectus & *Abjathar*, qui cum illo fecerat, loco motus & in agrum suum relegatus esset,) fama cum ad Joabum perveniret; ille, quod item ab *Adoniae*, non autem ab *Absalomi* partibus steterat, ad Domini tentorium, altaris cornua prehendi causa confugiebat.

Fierine poterit, ut verba illa: *non autem ab ABSALOMI partibus*, genuina censeas? In nostro sane capite non de Absalomo, (is enim jam diu mortuus erat,) sed de Salomone sermo est. Huic *Adonia* imperii erat *emulus*, & huic, non autem Absalomo, adversus erat Joab, dum cum *Adonia* faciebat. Versio LXXII senquam Vulgata; & Syrus, quem Arabs sequitur, pro אבשלום (*Absalomis*) שלמה (*Salomonis*) habent. Jam sensus facilis & commodus.

Librarius itaque *initio* addidit syllabam אב, & literam ה contra in *fine* omisit. Similes *additiones* (nam de *omissione in fine* jam supra ad Locum VI. in nota egi) & in sequentibus locis deprehendes. Qui 1 Chron. 6. 12. & 13. & Esr. 7. 2. שלום dicitur, is Neh. 11. 5. משלם vocatur, & qui 1 Chron. 9. 5. עשוה dicitur, is Neh. 11. 5. appellatur מעשוה. Item, quod legitur Agg 1. 1. ad Zorobabelem פחת *principem Iuda*, id LXXII vertunt εν φυλης Ιουδα, legerunt פחת ממשפחת tribus literis ab initio vocis פחת. Locus



Ex quo die populum meum Israel ex Ægypto eduxi, ne ulla mihi ex omnibus tribubus Israel ita placuit *urbs*, ut domum, ubi nomen meum habitaret, ædificandam ibi curassem; sed *David* mihi se ita probavit, ut eum Principem populi mei eligerem.

*Nulla URBS mihi placuit sed DAVID* - - - Quid hoc? quæ *urbs* & *David* ad se invicem referri poterunt? Vos, qui codicem sacrum ab omnibus omnino mendis immunem contendentes illis, qui ita statuunt, hæreseos maculam adspergitis; prodite quæso & vindicate, si valetis, hunc locum.

LXXII Senes ita legerunt:

ΑΦ ης ημερας εξηγαγον τον λαον με τον Ισραηλ εξ Αιγυπτου, οτι εξελεξαμην εν πολει εν ενι σκηπτρω Ισραηλ τα οικοδομησαι οικον τα ειναι το ονομα με εκει. ΚΑΙ ΕΧΕΛΕΧΑΜΗΝ ΕΝ ΙΕΡΟΥΣΑΛΗΜ ΕΙΝΑΙ ΤΟ ΟΝΟΜΑ ΜΕ ΕΚΑΙ. Και εξελεξαμην τον Δαυιδ οτι ειναι επι τον λαον με τον Ισραηλ.

Et in loco Parallelo 2 Chron. 6. 5. 6. verba nostra hoc modo repetuntur:

*Ex quo die populum meum Israel ex Ægypto eduxi, ne ulla mihi ex omnibus tribubus Israel ita placuit urbs, ut domum, ubi nomen meum habitaret, ædificandam ibi curassem: SIMILITER NEC ULLUS VIR SE MIHI ITA PROBAVIT, UT EUM PRINCIPEM POPULI MEI ISRAEL ELEGISSEM. SED IERUSALEM MIHI PLACUIT, UBI NOMEN MEUM HABITARET, & David mihi se ita probavit, ut principem eum populi mei eligerem.*

Sed hæc hæctenus. Jam ad id festino, quod scriptioni huic ansam præbuit. *Vobis* nempe, *Commilitones dilectissimi*, indicendæ sunt Prælectiones, quas in illa provincia, quæ plane singulari clementia CÆSAREÆ CELSITUDINIS, SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI, DOMINI



## PAULI PETROWITZ

*Cæsareæ Coronæ Heredis, in Throno Successoris, Ruthenorum omnium Magni Ducis, itemque Heredis Norvagiæ, Supremi Ducis Slesvici, Ducis Holsatiæ, Stormariæ & Dithmarschæ, Comitum Oldenburgi & Delmenhorsti, rel. Quem Deus amet! nuper mihi tradita est, habere in animo constitui. Permanebo Commilitones in his, in quibus hætenus versatus fui, in docendis nimirum linguis Orientalibus & in explicando Codice sacro, cum, quod ad priscum fœdus attinet, tum vero etiam, quod ad novum. Vobis, scio, nihil gratius posse accidere; & ego mihi persuadeo, vix eo quicquam magis in rem vestram esse futurum. Nam sine accurata harum linguarum cognitione, & quæ arctissime cum illa conjuncta est, arte exacte interpretandi, in universa vestra Disciplina certe sane atque indubitate sciri nihil fere poterit; & quod vobis sit hic ab Interpretibus expectandum, ex his, quæ antea dicta sunt, sponte (spero) intelligeris. Agite itaque & hoc hyberno semestri PUBLICE Coronum interpretari, ibi, ubi nuper substitimus, pergamus. PRIVATIM vobis ante meridiem h. 11-12. in *Genesis*; post meridiem vero h. 4-5. in *Mattheum* commentari animus est. Initium Lectionum, ut in syllabo est, d. 21 Octobr. fiet. Jubeat Deus ter optimus maximus, ut & hi novi conatus & in sui nominis honorem & in ecclesiæ commodum bene atque feliciter eveniant. Faxit vero & idem Numen Supremum, ut & Academia nostra in illo, quod modo ingressa est, sæculo, non majora solum incrementa capiat, sed paulatim etiam in pristinam suam dignitatem reducatur restituaturque.*

## CORRIGENDA.

p. 4. post verba *queritur enim hæc inferenda sunt: Queritur enim, quorsum illa יד ררך referenda sint? Si cum antecedentibus (sedens in sella) ea connectas; objicio: quod ita non יד ררך sed יד ררך legi debeat, deinde vero quoque hebrææ aures ad verbum מצפה certissime aliquid desiderabunt. Sin contra ea cum consequenti מצפה conjungere malis, queritur an etiam &c.*

